



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

V. Quo modo archiepiscopus, episcopus, & eorum officiales debeant  
hospitari cum subiectis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

V.

Cum inter ea quæ statuta sunt a modernis patribus Lateranense Concilium celeberrimum sit, & omni modo conseruatione dignissimum, nos ipsius instituta humiliter ac deuote sequentes, decernimus, vt archiepiscopus parochias visitans quadragesimum vel quinquagesimum euectionis numerum, episcopus vicesimum vel tricesimum, nequaquam excedant; archidiaconus vero quinque aut septem, decani constituti sub episcopis, duobus equis contenti existant. Nec cum canibus venatoriis aut auibus proficiscantur; sed ita procedant, vt non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere videantur. Prohibemus etiam ne subditos suos talliis & exactiõibus episcopi grauare præsumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superueniunt, vt, si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum caritate modicum ab eis valeant auxilium postulare. Cum enim dicit Apostolus: *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis,* multo longe a paterna pietate videtur, si præpositi subditis suis graues existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris more debent fouere. Archidiaconi aut sui decani nullas exactiões vel tallias in presbyteros seu clericos exercere præsumant. Sane, quod de supradicto numero euectionis secundum tolerantiam dictum est, in illis locis poterit obseruari, in quibus ampliores sunt redditus, & ecclesiasticæ facultates: in pauperibus autem locis tantam volumus teneri mensuram, vt ex accessu maiorum minores non debeant grauari, ne sub tali indul-

*Concil. Tom. 28.*

N

gentia illi qui paucioribus equis uti solebant hactenus, plurimam sibi credant potestatem indultam. Spectat autem ad visitationis officium ea in primis quæ ad salutem animarum pertinent, cum omni diligentia procurare, & ut vnaquæque ecclesia habeat calicem argenteum, & vestimenta sacerdotalia sufficientia & honesta, & libros necessarios, & utensilia, & cetera, quæ spectant ad cultum & reuerentiam sacramenti. Sane ad præcidendum tam auaritiæ quam negligentiam vitium auctoritate Toletani Concilii subnixi præcipimus, ut visitator ab ecclesia, in qua visitationis officium debito non exercet, procuracionem aut procuracionis redemptionem exigere non præsumat. Saluo, &c.

ANNO  
CHRISTI  
1100.

## VI.

Illud etiam iuxta tenorem Lateranensis Concilii firmiter obseruari præcipimus, ut si episcopus aliquem sine titulo certo in diaconum vel presbyterum ordinauerit, tamdiu ei subministret, donec ei in aliqua ecclesia conuenientia stipendia militiæ clericali assignet, nisi forte talis qui ordinatur extiterit qui de sua vel paterna hereditate subsidia vitæ possit habere. Idem in subdiaconi ordinatione statuimus; adiungentes, ut si archidiaconus citra speciale mandatum episcopi sui aliquem prædictorum ordinationi præsentauerit, & is ad eius præsentationem ordinatus fuerit, prædictæ pœnæ subiaceat. Saluo in omnibus, &c.

## VII.

Rursus Lateranensis Concilii statuta sequentes præcipimus ut nec prælati, nisi canonica com-